

PROPRIVM 7

SANCTORVM

HISPANORVM,

Qui generaliter in Hispania  
celebrantur,

Ad formam Officij noui redactum,

Ex Apostolica concessione, & auctoritate PII V.  
GREGORII XIII. SIXTI V. CLEMEN-  
TIS VIII. & VRBANI VIII.

PARS HIEMALIS, ET VERNA.



ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

SAINTORVM

Qui generaliter in Hispania  
celebrantur,

Ex Apostolica concessione & auctoritate P. V.  
GREGORII XII. SIXTI V. CLEMEN-  
TIS VIII. & V. FRANCIS VIII.



EX OFFICINA PLANTINIANA  
BALTHASARIS MORETI

M DC LXXI

# GREGORIVS

## PAPA XIII.

### Ad perpetuam rei memoriam.



**D**IASTORALIS officij cura nos admonet, ut ea que magis conducere censemus, pro locorum & personarum qualitate concedamus. Sane licet alias post Missalis & Breuiary ex decreto Sacri Concilij Tridentini editionem sel. rec. Pius V. Prædecessor noster, dilecti nobis filij Ludouici de Torres Malacitani, & Camera Apostolica Clerici, qui tunc ex Hispaniarum Regno, ad que ab eodem Prædecessore pro certis grauius negotiis ad Rempublicam Christianam spectantibus missus fuerat Romam redierat, relatione audita, multas scilicet, ut ipse Ludouicus a viris grauissimis ad hunc effectum a charissimo filio nostro Philippo Hispaniarum Rege Catholico deputatus acceperat, ex huiusmodi editione subortas fuisse in illis partibus difficultates, ad eas tollendas nonnulla, quo ad Hispaniarum Regna prædicta, duxerit reformanda, & concedenda: nihilominus quia, ut idem Ludouicus nobis retulit, re ipsa compertum est, adhuc aliqua ad Missalis & Breuiary impressionem, que in illa Prouincia magnis impensis curantur, desiderari: Nos eius dictis certam adhibentes fidem, ad omnem scrupulum dimouendum, motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolica potestate plenitudine hæc, que sequuntur, declaranda duximus, & concedenda. In primis illud nobis declarandum se offert, ex quo magna oriri poterat confusio: cum enim Prædecessor prædictus indistinctè concesserit, ut Ecclesie Hispanie possint celebrare Officia propria Sanctorum illius Prouincie, illique plures sint numero, ex hoc sequebatur, ut Officium maioris partis Feriarum anni omitteretur, & ordo Breuiary fere subuerteretur. Nos huic in omnino decurrere volentes & Prædecessoris prædicti mentem sano modo interpretantes, declaramus, unanquamque Hispania Ecclesiam eorum tantum Sanctorum, qui in Breuiario non sunt descripti, Officia propria celebrare posse, qui vel illius Diæcesis sunt naturales, vel eius Ecclesia seu Diæcesis sunt Patroni, vel eorum corpora, seu notabiles Reliquia in ea Ecclesia seu Diæcesi requiescant. De alijs vero Sanctis, etiam si sint naturales, vel Patroni alterius Diæcesis, etiam si illorum corpora, vel notabiles Reliquia in aliqua Ecclesia alterius Diæcesis requiescant, non celebretur Officium proprium, sed seruetur ordo Breuiary Romani. Et quo die celebrabitur festiuitas Patroni vnius Diæcesis, Religiones omnes teneantur

eodem die in suis Ecclesiis intra limites illius Diocesis existentibus  
 eandem festiuitatem celebrare; & in hoc cum Ecclesia matrice se  
 conforment. Item volumus, quod festiuitates sequentes sint in  
 tota Hispania generales, ita quod omnes Ecclesia & Religiones  
 existentes in illa Prouincia recitent de illis, & celebrent propria  
 illorum Officia, quae sunt, festiuitas Expectationis Dominae nostrae,  
 quae celebratur die xviij mensis Decembris. Et quoniam dicta die  
 iuxta Breuiarium Romanum Feria habet Antiphonas proprias ad  
 Laudes: ne Antiphona praedicta omittantur, & ut festiua sin-  
 gulis annis in illa Prouincia decantentur: mandamus, quod dictae  
 Antiphona seriales, quae in die, in qua Officium Expectationis ce-  
 lebratur, dicenda essent, reponantur die xvj. Decembris, omissa  
 ea quae ad Canticum dicitur, cuius loco dicatur ea quae ad Canti-  
 cum ponitur in Psalterio: & idem fiat de Antiphonis in die san-  
 cti Thoma occurrentibus, reponendis in Sabbato, quando festum  
 Expectationis huiusmodi in Sabbato uenerit; ut scilicet Antiphona  
 in die sancti Thoma occurrentes, tunc reponantur xvj. Decembris,  
 dempta ea quae dicitur ad Canticum, ut supra. Item festiuitas  
 Triumphus sanctae Crucis quae celebratur die xvj. Iulij. Item festiuitas  
 sancti Ildelfonsi Archiepiscopi Toletani Confessoris. Item festiuitas  
 sancti Isidori Archiepiscopi Hispalensis: pro quo celebretur Offi-  
 cium Doctoris, & recitetur Credo in celebratione Missae. Insuper  
 celebretur festiuitas sanctae Annae matris beatae Mariae Virginis in  
 omnibus locis ubi fuerit Ecclesia vel Capella dicta Sancta ad praesens,  
 vel ubi edificabitur Ecclesia in futurum. Item concedimus,  
 quod qualibet Ecclesia & Monasterium Hispania, habens aliquas  
 Reliquias insignes, puta caput, brachium, vel crus alicuius Sancti,  
 etiam alienigenae, non existentis in Breuiario, vel de quo in dicto  
 Breuiario sit tantum commemoratio, possit illius festiuitatem cele-  
 brare, & Officium Duplex facere, & de alio Sancto eodem die  
 occurrenti, si fuerit Simplex, fiat commemoratio: si uero fuerit  
 Duplex, vel Semiduplex, transferatur in primam diem simili  
 Festo non impeditam. Et quoniam in Regno Castelle in pluribus  
 Ecclesiis celebratur die xxx. Decembris Translatio sancti Iacobi  
 Apostoli Hispaniarum Patroni, praecipuum Duplex, & in Bre-  
 uuario ponitur die xxix. festiuitas sancti Thome Archiepiscopi Can-  
 tuariensis & Martyris, Semiduplex; & in anno, quo festiuitas  
 sancti Thome occurrit in Dominica, iuxta regulam Breuiarii  
 transfertur in diem sequentem; quo die in eo Regno celebratur  
 supradicta festiuitas sancti Iacobi, posteaque per plures dies non  
 uenit aliqua dies uacua, in qua possit celebrari festiuitas praedicti  
 sancti Thome; volumus, ut in eo anno festum ipsum sancti Thome  
 transferatur ad primam diem Duplici non impeditam, quae erit  
 Vigilia Epiphaniae, & tunc de Vigilia fiat tantum commemoratio:  
 ad Uesperas autem Epiphaniae nulla fiat commemoratio de festo  
 sancti Thome praedicti. Cum uero in Ecclesiis & Religionibus  
 Hispania uigeat consuetudo, quod diebus Paschalibus & Festiuita-  
 tibus

5

tibus maioribus celebret Missam Conuentualem Antistes, vel alia persona principalis, & regula Missalis ordinet, quòd omnibus diebus Dominici infra annum Sacerdos, qui celebrauerit Missam Conuentualem, exeat ante celebrationem Missa cum pluuiiali, vel cappa, & cum ministris ad incipiendum in Altari maiori Antiphonam Asperges, & aspergendum aquam benedictam populo: concedimus, quòd Antistes, seu alia persona principalis celebrans Missam Conuentualem, praemissa facere non teneatur, sed illa facere possit quilibet alius simplex Sacerdos eius loco; & quòd talis Sacerdos non deferat pluuiiale, sed albam, vel stolam, vel superpelliceum, & stolam; nec procedat associatus cum ministris, sed solum cum Acolythis. Haec autem omnia, & singula, Breviarium & Missale concernentia, per sel. rec. Pium V & nos concessa pro Hispaniarum Prouincijs, volumus, ut intelligantur etiam concessa Ecclesijs insularum & terra firma Indiarum dicto Regi Catholico subiectarum. Et insuper statuimus, quòd Missa Sanctorum, quae iuxta motum proprium dicti Pij V. in Missali Romano in Hispanijs imprimendo possunt imprimi, non in corpore, sed in fine dicti Missalis imprimantur. Et ita per praesentes Apostolica auctoritate declaramus, statuimus, concedimus & indulgemus: Non obstantibus praemissis, & litteris Praedecessoris praedicti in Breviario & Missali ac Regulis sub Rubricis generalibus cum ipsismet Breviarijs & Missalibus impressis, nec non omnibus & singulis in eis contentis prohibitionibus, clausulis, derogationibus & decretis. Quae omnia Nos ad effectum praesentium in dictis Prouincijs locum sibi non vendicare decernimus, ac alijs, quae dictus Praedecessor in suis litteris obtinere non voluit ceterisque contrarijs quibuscumque. Ut autem praesentes litterae omnibus innotescant, volumus, & districte praecipiendo omnibus & singulis librorum impressoribus in partibus illis consistentibus mandamus ut illas in cuiuslibet Missali & Breviary principio imprimant, & imprimi curent, alias illis non appositis & impressis praesentes nemini suffragentur Datum Romae apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxx. Decembris, M. D. LXXI. Pontificatus nostri anno primo.

Caes. Glorierius.

# DECRETVM PRO HISPANIS.

**N**omine nationis Hispanorum supplicauit Doctor Michaël de Erze præcipi ubique locorum, ubi celebratur festum Translationis corporis sancti Iacobi Apostoli de Ierosolymis ad Hispaniam sub die 30. Decembris, celebrari debere tam in Officio quam in Missa, & tam per Sacerdotes saculares quam per regulares, cum propria Oratione inferius describenda, dictamque Orationem pro festo dictæ Translationis imprimi etiam mandari.

## Oratio.

**D**eus, qui dispositione mirabili corpus beati Iacobi Apostoli tui de Ierosolymis ad Hispaniam transferri, & in Compostella gloriosè sepeliri voluisti: concede, quæsumus, vt eius meritis & precibus in caelesti Ierusalem collocari mereamur. Per Dominum nostrum, &c.

Sacra Rituum Congregatio petita concessit: & ita ab omnibus ubique locorum prædictum festum Translationis celebrantibus in posterum cum prædicta Oratione propria seruari mandauit, hoc die V. Marty, M. DC. XXXI II.

C. Episcopus Portuens. Card. Pius.

Loco sigilli.

Iulius Rospigliosius Secret.

PROPRIVM  
SANCTORVM  
HISPANORVM.

FESTA DECEMBRIS.  
DIE VIII. DECEMBRIS.  
In festo Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis. Duplex.

Officium fit vt in Breviario Romano.

Quod Festum cum Octava ALEXANDER VII. in omnibus Regnis Hispaniarum & Indiarum Catholicae Maiestatis imperio subiectis, tum a Saecularibus, tum a Regularibus vtriusque sexus, qui ad Horas Canonicas recitandas tenentur, de praeepto recitari mandauit.

DIE IX. DECEMBRIS.  
In festo S. Leocadiae virginis & martyris Patronae Toletanae. Duplex.

In Vesperis extra diocesim Toletanam. Officium fit de Conceptione beatae Mariae Duplex, cum commemorat. S. Leocadiae virginis & mart. Antiph. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus praeparauit in aeternum. V. Specie tua, & pulchritudine tua. R. Intende, prospere procede, & regna.

Oratio.

**B**eatae Leocadiae virginis & martyris tuae, quasumus Domine, precibus & meritis adiuuemur: vt quae pro tui nominis confessione carceres & mortem pertulit, suo nos patrocinio ab aeterno carcere defendat. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Deinde fit commemoratio Feriae.

Si festum Conceptionis venerit in Dominica, transferatur in Feriam iij. & tunc in primis Vesperis sanctae Leocadiae omnia de ipso festo, vt in Communi Virginum & martyrum praeter Orationem: & fit commemoratio Dominicae.

In secundis autem Vesperis omnia de festo Conceptionis, cum commemoratione sanctae Leocadiae & Feriae.

Ad Matutinum omnia dicuntur de Communi Virginis & martyris, praeter Lectiones, quae assignantur propriae.

In primo Nocturno; Lectiones. Confitebor tibi Domine, Rex, ac Communi Virginum & martyrum.

In secundo Nocturno.

Ex Breuariis, Martyrologiis,  
& Historiis antiquis.

Lectio iiii



**L**eoecadia virgo Toletana nobilis genere, sed nobilior Christiana pietate, eo tempore martyrium passa est, quo Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, tam dira in Dei Ecclesiam persecutio commota est, ut vbiq; gentium conquisiti Christiani, aut Christi fidem abnegare, aut mortem subire cogerentur. Ad quam crudelitatem exercendam, & veri Dei cultum in Hispania extinguendum, missus est ab Imperatoribus Dacianus præses. Qui, multis ciuitatibus eius Prouinciæ Martyrum sanguine consecratis, vbi Toletum venit, Leocadiam ad se accersiri iubet, eamq; blanditiis primùm delinire aggreditur: deinde etiam terroribus ac modis omnibus de proposito colendæ Christianæ religionis deducere conatur. Cuius impiam orationem Leocadia detestata, in vincula coniicitur, ut aut sententiam mutet,

aut vim immanium tormentorum experiatur.

*Resp.* Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam, Et deducet te mirabiliter dextera tua. *Ps.* Specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna. Et deducet.

Lectio v.

**C**um autem in custodiam virgo duceretur, Deo humili corde gratias egit, quod pro Christo fundendi sanguinem sibi occasionem obtulisset. Conuersaque ad eos, qui se lacrymis prosequerentur, placido vultu, Eia, inquit, Christi milites, congratulamini mihi: quoniam digna habita sum pro nomine Iesu contumeliam pati. In tetro carcere diu iacuit, donec auditis sæuissimis tormentorum generibus, quibus Dacianus per multos Christianos excruciatos necauerat, pio dolore commota, flexis humi genibus, Deum precata est, ut se ( si ita expediret ) è custodia corporis educeret ad confitendum nomini eius: exauditaq; à Domino, squallore confecta, impollutum spiritum in oratione Deo reddidit.

*R.* Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: Propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo



oleo lætitiæ. *Ps.* Propter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam. Propterea.

*Lectio vii.*

**L**ecodiæ igitur corpus honorificè à Christianis in suburbio Toletano sepelitur. Vbi postea, & in loco ubi mortua est, duæ Ecclesiæ Collegiatae; & tertia item Parochialis in ædibus, in quibus habitavit, eius nomine dedicatæ etiam nunc extant. Quibus tantus honor Gothorum tempore est habitus, ut in eis potissimum multa Concilia Tolerana, eaque frequentissima habitæ: & sanctissimi Archiepiscopi Toletani, Eugenius tertius, Ildefonsus, & Iulianus, in Leocadiæ Basilica, propter virginis reuerentiam, sepulti sunt. Hæc sanctissima virgo post mortem è tumulo surrexit, & Recesuintho Rege præsentem, & magna hominum multitudine, beato Ildefonso apparuit, eiusque studium in gloriosissimam virginem Mariam commendauit.

*R.* Afferentur Regi virgines post eam, proximæ eius, Afferentur tibi in lætitiâ & exultatione. *Ps.* Specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna. Afferentur. *Gloria Patri.* Afferentur.

*Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum.*

*Lectio vii. Cap. 25.*

**I**n illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ. Et reliqua.

Homilia sancti Isidori Archiepiscopi Hispalensis, *Lib. Sententiarum, cap. 40.*

**V**irgo carne, non mente, nullum præmium habet in repromissione. Vnde & insipientibus virginibus Saluator in iudicio veniens, dicit: Amen dico vobis, nescio vos: ubi enim iudicans mentem corruptam inuenerit, carnis proculdubiò incorruptionem damnabit. Nihil prodest incorruptio carnis, ubi non est integritas mentis. Nihilque valet mundum esse corpore eum qui pollutus est mente.

*R.* Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem inuenit, quæ acceptis lampadibus sumpsit secum oleum: Et veniente Domino, introiit cum eo ad nuptias.

*Ps.* Media nocte clamor factus est, Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Et veniente.

## Lectio viij.

**M**ulti sunt reproborum qui carnalis corruptelæ contagium nesciunt. Qui sicut infecundi sunt corpore, ita steriles manent mente, operisque boni fecunditate. Qui rectè de virginitate gauderent, si aliis prauis operibus non inferuissent. Qui continentiam profiteretur, & ab aliis terrenis desideriis non subtrahitur; quamuis hunc luxuria carnis non polluat, diuersa tamen mundanæ conuersationis operatio maculat.

Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Prudentes virgines aptate vestras lampades. Ecce sponsus venit. Gloria Patri, Ecce sponsus.

## Lectio ix.

**V**irgines de suis meritis gloriantes, hypocritis comparantur, qui gloriam noui operis foris appetunt, quam intra conscientiam humiles habere debuerunt. Tales igitur ad promissa cælestia non perueniunt: quia ipsæ sibi virginitatis præmium per elationis vitium auferunt. Hoc est enim in Euangelio non habere virgines in vasis oleum, id est, non seruare intra conscien-

tiam boni operis testimonium; sed in facie gloriari apud homines, non in corde apud Deum.

**T**e Deum laudamus.

Ad Laudes & per Horas, de Communi Virginum & Martyrum.

Oratio vt supra. 7.

Et sit commemoratio Octauæ & Feriæ; quibus in Vesperis additur sancti Melchiadis Papæ & martyris.

DIE X. DECEMBRIS.

Tertia die infra Octauam Conceptionis beatæ

Marie.

In primo Nocturno leguntur Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

Serm. in c. 12 Apocalypsis.

## Lectio iij.

**N**ouum fecit Dominus super terram; vt mulier circumdaret virum, nec alium quam Christum, de quo dicitur: Ecce vir, Oriens nomen eius. Nouum quoque fecit in cælo, vt mulier sole appareret amicta. Denique & coronauit eum, & vicissim ab eo meruit coronari. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua. Ver-

rum hoc aliàs. Interim sanè  
ingredimini magis, & vide-  
te Reginam in diademate,  
quo coronauit eam Filius  
suus. In capite, inquit,  
eius corona stellarum duo-  
decim.

Conceptio gloriose vir-  
ginis Mariæ, ex semine A-  
brahæ, orta de tribu Iuda,  
clara ex stirpe Dauid, cuius  
vita inelyta cunctas illu-  
strat Ecclesias. *Verf.* Hodie  
concepta est beata virgo  
Maria ex progenie Dauid.  
Cuius vita,

*Lectio v.*

**D**ignum planè stellis co-  
donari caput, quod &  
ipsis longè clariùs micans,  
ornet eas potiùs, quàm or-  
netur ab eis. Quidni coro-  
nent sidera, quàm sol vestit?  
Sicut dies verni circunda-  
bant eam flores rosarum,  
& lilia conualium. Nimi-  
rum laua sponsi sub capite  
eius, & iam dextera illius  
amplexatur eam. Quis illas  
æstimet gemmas, quis stel-  
las nominet, quibus Ma-  
riæ regium diadema compa-  
rètum est?

Cum iucunditate Con-  
ceptionem beatæ Mariæ ce-  
lebremus: \* Ut ipsa pro no-  
bis intercedat ad Dominum  
Iesum Christum. Corde,  
& animo Christo canamus  
gloriam in hac sacra solem-

nitate præcellæ genitricis Dei  
Mariæ. Ut ipsa.

*Lectio vi.*

**Q**uid ergo sidereum mi-  
cat in generatione Ma-  
riæ? planè quòd ex regibus  
orta, quòd ex semine Abra-  
hæ, quòd generosa ex stirpe  
Dauid. Si id parum vi-  
detur, adde quòd genera-  
tioni illi ob singulare priui-  
legium sanctitatis diuinitus  
noscitur esse concessa: quòd  
longè antè eisdem patribus  
cælitus repromissa, quòd  
mysticis præfigurata mira-  
culis, quòd oraculis præ-  
nuntiata prophetiis. Hanc  
enim sacerdotalis virga, dum  
sine radice floruit: hanc  
Gedeonis vellus, dum in  
medio siccæ areæ maduit;  
hanc in Ezechielis visio-  
ne orientalis porta, quæ  
nulli vnquam patuit, præ-  
signabat.

*Rep.* Conceptio tua, Dei ge-  
nitrix virgo, gaudium an-  
nuntiauit vniuerso mundo:  
\* Ex te enim ortus est sol  
iustitiæ, Christus Deus no-  
ster: \* Qui soluens maledi-  
ctionem, dedit benedictio-  
nem; & confundens mor-  
tem, donauit nobis vitam  
semperternam. Benedicta  
tu in mulieribus, & bene-  
dictus fructus ventris tui.  
Ex te. gloria Patri. Qui  
soluens.

## In tertio Nocturno.

Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. I.

**L**iber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

De Homilia sancti Hilarij Episcopi.

Comment. in Matth. can. 2.

**N**on refert quis in originis numero atque ordine collocetur, dummodo vniuersorum familia coepta esse intelligatur ab vna. Itaque cum eiusdem tribus sit Ioseph & Maria, dum profectus esse ex Abraham genere Ioseph ostenditur, profecta quoque docetur & Maria. Hæc enim in lege ratio seruata est, vt si mortuus sine filiis familiae princeps esset, defuncti vxorem posterior frater eiusdem cognationis acciperet, susceptosque filios in familiam eius, qui mortuus esset, referret: maneretque ita in primogenitis successionis ordo, cum patris eorum qui post se nati essent, aut nomine haberentur, aut genere.

Beata[m] me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Et misericordia

eius à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit mihi. Lectio viij.

**S**equens illud est, vt, quia diximus secundum rerum fidem generationis istius ordinem nec numero sibi nec successionem constare, huius quoque rei ratio afferatur. Non enim leuis causa est, vt aliud in narratione sit, aliud fuerit in gestis: & aliud referatur in summa, aliud verò teneatur in numero. Namque ab Abraham vsque ad Dauid quatuordecim generationes numeratae sunt: & à Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis in quibusdam libris decem & septem deprehenduntur. Sed in hoc non mendacii, aut negligentiae vitium est. Tres enim ratione prateritae sunt. Nam Ioras genuit Ochoziam; Ochozias verò genuit Ioam, Ioas deinde Amasiam, Amasias autem Oziam: & in Matthæo Ioras Oziam genuisse scribitur, cum quartus ab eo sit. Hoc ita, quia ex gentili femina Ioras Ochoziam genuit, ex Achab scilicet, qui Iezabel habuit vxorem.

Felix namque es sacra virgo Maria, & omni laude dignissima: Quia ex te ortus est sol iustitiae, Christus

stus Deus noster. *V.* Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo sexu: sentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem. Quia ex te. Gloria Patri. Christus.

Lectio ix.

**D**enique per Prophetam non nisi quarta generatione in throno regio Israelis quemquam de domo Achab esse sessurum dicitur. Purgata igitur labe familiae gentilis tribus, quae praeteritis iam regulis, in quarto generationum consequentium ordine numeratur, & usque ad Mariam generationes quatuordecim esse scribitur, cum in numero decem & septem reperiantur, nullus error esse poterit scientibus non eam solum esse Domino nostro Iesu Christo originem, quae coepit ex Maria: sed in procreatione corporea, natiuitatis aeternae significantiam comprehendit.

Te Deum laudamus.

In Laudibus fit commemoratio Feriae, & sancti Melchiasis Papae & Martyris.

Vesperae à Capitulo de Damaso Papa & confessione, cum commemoratione Octauae & Feriae.

DIE XI. DECEMBRIS.

Quarta die infra Octauam Conceptionis beatae Mariae.

Fit de S. Damaso Papa & confessione, cum commemoratione Octauae, & Feriae in Laudibus.

Vesperae à Capitulo de Octaua, cum commemoratione sancti Damasi & Feriae.

DIE XII. DECEMBRIS.

Quinta die infra Octauam Conceptionis beatae Mariae.

In primo Nocturno leguntur Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex libro sancti Epiphaniij Episcopi aduersus haereses.

Lib. 3. haeresi 78. post med.

Lectio iij.

**B**eata mater Dei Maria per Heuam significatur, quae per aenigma accepit, ut mater uiuentium vocetur. Illa etenim mater uiuentium uocata est, etiam postquam audiuit: Terra es, & in terram reuerteris, post transgressionem. Et mirum est, quod post transgressionem hoc magnum cognomen habuit. Et quod quidem pertinet ad rem sensibilem, ab illa Heua omnis hominum generatio deducta est in terra: hic autem

tem, verè à Maria hæc vita mundo genita est, vt viuentem gigneret, & fieret Maria mater viuentium. Per ænigma igitur Maria mater viuentium appellata est.

**R.** Conceptio gloriosæ virginis Mariæ, ex semine Abrahamæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex stirpe Dauid, \* Cuius vita incluta cunctas illustrat Ecclesias. **ÿ.** Hodie concepta est beata virgo Maria ex proge- nie Dauid. Cuius vita.

**Lectio v.**

**H**euæ datum est operire corpus sensibile propter nuditatem sensibilem : Mariæ verò datum est à Deo, vt pareret nobis Agnum & ouem, & ex gloria ipsius Agni & ouis fieret nobis velut à vellere in sapientia per virtutem ipsius indumentum incorruptibilitatis. Heuæ etiam mortis causa facta est hominibus : per ipsam enim mors ingressa est in mundum : Maria verò causa vitæ, per quam genita est nobis vita, & per hanc Filius Dei aduenit in mundum : & vbi abundauit peccatum, ibi superabundauit & gratia : & vnde illata est mors, illinc processit & vita, vt vita pro morte fieret : & qui per mulierem nobis vita factus est, mortem ex muliere indutam excluderet. Et quoniam

illuc Heuæ, cum adhuc esset virgo, per inobedientiam transgressa est : è contrario per virginem obedientia gratiæ facta est, annuntiato aduentu in carne de celo, & vita æterna.

**R.** Cum iucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus : \* Vt ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Iesum Christum. **ÿ.** Corde & animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcellæ genitricis Dei Mariæ. Vt ipsa.

**Lectio vi.**

**D**E Maria accipitur (siccat mihi hoc dicere) quod scriptum est de Ecclesia : Relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adheret uxori suæ : & erunt duo in carne vna. Sanctus autem Apostolus dicit : Mysterium hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia. Et vide scripturarum accuratam dicendi proprietatem, quod de Adam quidem dixit, formauit : de Heuæ verò, non formatam esse, sed edificatam. Accepit enim, inquit, vnā de costis eius, & edificauit ipsi in uxorem. Quo ostendat, Dominum quidem de Maria efformasse sibi ipsi corpus, ab ipsa verò costa edificatam esse Ecclesiam, in quod.

quòd punctum & apertum est ipsius latus, & mysteria sanguinis & aquæ, pretia redemptionis facta sunt.

**R.** Conceptio tua, Dei genitrix virgo, gaudium annuntiauit vniuerso mundo: \* Ex te enim ortus est sol iustitiæ, Christus Deus noster: \* Qui soluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam sempiternam. **V.** Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. **Ex te. Gloria Patri. Qui soluens.**

**In tertio Nocturno.**

**Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum.**

**Lectio vij. Cap. i.**

**L**iber generationis Iesu Christi, filij David, filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

**Homilia sancti Ioannis Chrysostomi.**

**Homilia 2. in Matth. post initium.**

**A**ldiu quidem mirabile est, quòd ineffabilis Deus, & qui nec sermonibus explicari potest, nec cogitationibus comprehendì, Patrique per omnia coequalis, per Virginis ad nos venit uterum, & fieri ex muliere dignatus est, & habere progenitores David, & Abraham; & quid

dico, David & Abraham? etiam illas, quod magis stupendum est, feminas, quas paulò antè memorauì. Hæc igitur audiens mente conserge, nihilque humile suspiceris, sed potiùs propter hoc ipsum maximè mirare, quia cum verus & dilectus filius sit sempiterni Dei, etiam filius David esse dignatus est, modò vt te filium faceret Dei: seruum patrem habere dignatus est, vt tibi seruo patrem faceret ipsum Deum.

**R.** Beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, & sanctum nomen eius. **V.** Et misericordia eius à progente in progenies timentibus eum. **Quia fecit mihi.**

**Lectio viij.**

**V**ides ab ipso statim principio, quàm læta sint hæc nuntia. Quòd si ambigis de his quæ ad tuum spectant honorem, ab iis quæ illius sunt, etiam tua disce credere. Quantum enim consecui potest humana ratio, multò est difficilius Deum hominem fieri, quàm hominem Dei filium consecrari. Cum ergo audieris, quia Filius Dei, filius sit & David & Abrahæ; dubitare iam destine, quòd & tu, qui filius es

Adæ, futurus sis filius Dei: non enim semetipsum ita humiliasset, nisi nos esset exaltaturus. Natus est enim secundum carnem, ut tu nascerere spiritu: natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris.

**Resp.** Felix namque es sacra virgo Maria, & omni laude dignissima: \* Quia ex te ortus est sol iustitiæ, \* Christus Deus noster. *Vers.* Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo sexu: sentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem. Quia ex te Gloria Patri. Christus.

Lectio ix.

**P**ropterea duplex facta generatio est, hæc scilicet nostræ similis, illa nostram eminenter excedens. Quod enim natus ex femina est, & nobis competit; quod verò non ex sanguine, neque ex voluntate carnis aut viri, sed ex Spiritu sancto, aliam nobis sublimiorem, futuramque & spiritu consequendam generationem promittit. Sed alia quoque omnia ex simili diuersitate constabant. Nam & baptisma profectò tale suscepit, quod haberet quidem aliquid veteris, haberet & noui. Quod enim baptizatus est à Propheta, ex-

pressit vetus; quod autem descendit Spiritus, adumbravit nouum.

**T**e Deum laudamus.

In Laudibus fit commemoratio Fetiæ.

Vesperæ de S. Lucia virgine & martyre, cum commemoratione Octauæ & Fetiæ.

**DIE XIII. DECEMBRIS.**

Sexta die infra Octauam

Conceptionis beatæ Mariæ.

Fit de S. Lucia virgine & martyre, cum commemoratione Octauæ Conceptionis & Fetiæ, in Laudibus & Vesperis.

**DIE XIII. DECEMBRIS.**

Septima die infra Octauam

Conceptionis beatæ Mariæ.

In primo Nocturno leguntur Lectiones de Scriptura corrente.

Si autem hac die occurrat Fetiæ iij. Quatuor Temporum, Lectiones primi Nocturni leguntur ut in die Fetiæ, & Lectio nona de Homine Fetiæ.

In secundo Nocturno.

Ex Epistola sancti Ambrosii Episcopi ad Siricium Papam.

Epist. 81. al. 7. Lectio iij.

**D**E via peruersitatis produntur dicere: Virgo concepit, sed non virgo generauit. Potuit ergo



ergo virgo concipere, non potuit virgo generare, cum semper conceptus precedat, partus sequatur? sed si doctrinis non creditur sacerdotum, credatur oraculis Christi, credatur monitis Angelorum dicentium: Quia non est impossibile Deo omne verbum. Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemperatum semper custodit & seruat. Audiuit Maria vocem Angeli, & qui antè dixerat: Quomodo fiet istud? non de fide generationis interrogans, respondit postea: Ecce ancilla Domini, contingat mihi secundum verbum tuum.

*R.* Conceptio gloriosæ virginis Mariæ, ex semine Abrahamæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex stirpe David, \* Cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. *Verf.* Hodie concepta est beata virgo Maria ex progenie David. Cuius vita.

Ex libro sancti Hieronymi Presbyteri aduersus Iouinianum.

Ex Apolog. ad Pammachium, pro Libro aduersus Iouinianum, in fine.

Lectio v.

**C**hristus virgo, mater virginis nostri virgo perpetua, mater & virgo.

Iesus enim clausis ingressus est ostiis: & in sepulchro eius quod nouum & in petra durissima fuerat excisum, nec antea quis, nec postea positus est: Hortus conclusus, fons signatus: de quo fonte ille fluuius manat, iuxta Ioël, qui irrigat torrentem vel fenum, vel spinarum: fenum, peccatorum, quibus antè alligabamur: spinarum, quæ suffocant sementem patrisfamilias. Hæc est porta orientalis, vt ait Ezechiel, semper clausa, & lucida, operiens in se, vel ex se proferens sancta sanctorum: per quam sel iustitiæ & pontifex noster secundum ordinem Melchisedech ingreditur & egreditur.

*R.* Cum iucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus; \* Vt ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Iesum Christum. *Verf.* Corde & animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcellæ genitricis Dei Mariæ. Vt ipsa.

Ex libro sancti Irenæi Episcopi & martyris aduersus hæreses.

Lib. 5. c. 19. Lectio vi.

**I**n sua propria veniente Domino, & sua propria eum baiulante conditione, quæ baiulatur ab ipso, & capitulationem eius quæ in ligno

ligno fuit inobedientiæ, per eam quæ in ligno est, obedientiam faciente, & seductione illa soluta, qua seducta est malè illa, quæ iam viro destinata erat virgo Heua; per veritatem euangelizata est benè ab Angelo iam sub viro virgo Maria. Quemadmodum enim illa per Angelicum sermonem seducta est, vt effugeret Deum, prauaricata verbum eius: ita & hæc per Angelicum sermonem euangelizata est, vt portaret Deum; obediens eius verbo. Et sicut illa seducta est, vt effugeret Deum; sic hæc suasa est obedire Deo, vt virginis Heuæ virgo Maria fieret aduocata. Et quemadmodum adstrictum est morte genus humanum per virginem, soluatur per virginem; aqua lance disposita virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam.

*℞.* Conceptio tua, Dei genitrix virgo, gaudium annuntiavit vniuerso mundo: Ex te enim ortus est sol iustitiæ, Christus Deus noster: \* Qui soluens maledictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam sempiternam. \* Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex te. Gloria Patri. Qui soluens.

### In tertio Nocturno.

*Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum.*

#### *Lectio vij. Cap. 1.*

**L**iber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

De Homilia sancti Ioannis Chrysostomi.

*Vnde supra, paulo post.*

**C**uius verò rei gratia librum ipsum generationis Christi vocat, vbi non vitæ generatio, sed tota profus sola ipsius mysterij dispensatio continetur? quia totius scilicet dispensationis caput, radix atque principium omnium nobis in hoc consistit bonorum. Vt enim Moyses librum cæli appellauit ac terræ, cum certè non de cælo solum terræque loqueretur; sed de cunctis quæ inter ipsa subsistunt: ita etiam Euangelista ab ipso omnium fonte & capite bonorum librum vocauit.

*℞.* Beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, & sanctum nomen eius. V. Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit mihi. *Lectio vij.*

**Q**ua verò de causa non eum antè filium Abrahamæ, & postea filium Dauid nuncu-

nuncupavit: Non, sicut opinantur aliqui, ab inferioribus volens ad superiora conscendere. Ceterum fecisset quod fecit. & Lucas: nunc autem è contrario facit. Cur ergo commemoravit priorem David? Quia ipse proculdubio in omnium versabatur ore; ob insigne honoris & gloriae, ob ipsius quoque temporis spatia iunctiora. Etsi enim utriusque promiserat Deus, sed tamen illud quasi antiquum reticebatur, hoc verò quasi novum & recens ab omnibus celebrabatur.

Felix namque es sacra virgo Maria, & omni laude dignissima: Quia ex te ortus est sol iustitiæ, Christus Deus noster. *Veni Ora pro populo, & interveni pro clero; intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum iuvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem. Quia ex te Gloria Patri. Christus.*

*Lectio ix.*

**I**psi namque Iudæi dicunt: Nonne ex femine David, & Bethleem castello, ubi erat David, venit Christus? Nemo igitur illum filium Abrahamæ, sed omnes filium David nominabant: qui etiam honorabiliores quosque de sanctitate Reges, qui post David fuisse referuntur, ab illo

omnes vocabant. Nec ipsi solum, verum etiam Deus: nam & Ezechiel & alij Prophetæ dicunt, David surrecturum esse eis, atque venturum; non de illo utique mortuo iam loquentes, sed de iis qui illius virtutem erant imitaturi. Propterea igitur à notiore interim, & celebratiore persona sumit exordium; & tum demum ad antiquiorem recurrit parentem. **Te Deum.**

*In Laudibus sic commemoratio fit.*

*Ad Vesperas duplex commemoratio dicitur sicut in primis Vesperis Festi, cum commemoratione Felix, & S. Iulij Episcopi & martyris. 20. Martii.*  
**DIE XV. DECEMBRIS.**

*Octava Conceptionis beate Mariæ. Duplex.*  
*In nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.*

*Si autem hac die occurrat Feria iij. Quatuor Temporum, Lectiones primi Nocturni leguntur ut in die Festi, & Lectio nona de Homilia Feria.*

*In secundo Nocturno. De Expositione sancti Gregorij Papæ in libros Regum.*

*In i. Reg. i. Lectio iij.*

**F**uit vir vnus de Ramathaim-sophim, de monte Ephraim. Potest huius montis nomine beatissima

ma semper virgo Maria, Dei genitrix, designari. Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit? Huius enim montis præcellentissimam dignitatem Isaias vaticinans, ait: Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes Sanctos refulsit.

*R.* Conceptio gloriosæ virginis Mariæ, ex femine Abrahamæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex stirpe David, Cuius vita incluta cunctas illustrat Ecclesias. *V.* Hodie concepta est beata virgo Maria ex progenie David. Cuius vita.

Ex Epistola sancti Leonis  
Papæ ad Pulcheriam  
Augustam.

*Epistola 13. ante medium.*  
*Lectio v.*

**S**acramentum reconciliationis nostræ ante tempora æterna dispositum, nullæ implebant figuræ: quia nondum supervenerat Spiritus sanctus in Virginem, nec virtus Altissimi obumbrave-

rat ei, ut & intra intemperate viscera, ædificante sibi Sapientia domum, Verbum caro fieret, & forma Dei ac forma servi in vnam conueniente personam, creator temporum nasceretur in tempore, & per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretur. Nisi enim non homo, factus in similitudinem carnis peccati, nostram susciperet vetustatem, & consubstantialis Patri, consubstantialis esse dignaretur & matri; naturamque sibi nostram solus à peccato liberuaret; sub iugo diaboli generaliter teneretur humana captiuitas.

*R.* Cum iucunditate Conceptionem beatæ Mariæ celebremus: *V.* Ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Iesum Christum: *V.* Corde & animo Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate præcellæ genitricis Dei Mariæ. Ut ipsa.

De Expositione sancti Basilij  
Episcopi, in Isaiam  
Prophetam.

*In c. 8. post initium.*  
*Lectio vi.*

**A**ccessi, inquit, ad prophetissam, & in utero accepit, & peperit filium. Quod Maria prophetissa fuerit, ad quam proximè accessit Isaias per prænotationem spiri-

spiritus, nemo contradixerit, qui sit memor verborum Marix, quæ prophético afflata spiritu elocuta est. Quid enim ait? Magnificat anima mea Dominum; & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo; quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quod si animam accommodaueris vniuersis eius verbis; non utique contentiosè negaueris eam fuisse prophetissam, quòd Domini spiritus in eam superuenerit, & virtus Altissimi obumbrauerit ei.

**R.** Conceptio tua, Dei genitrix virgo, gaudium annuntiauit vniuerso mundo: Ex te enim ortus est sol iustitiæ, Christus Deus noster: Qui soluens male dictionem, dedit benedictionem: & confundens mortem, donauit nobis vitam sempiternam. **V.** Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. **Ex te. Gloria Patri. Qui soluens.**

**In tertio No. Anno.**  
Lectio sancti Euangelij secundum Matthæum.

**Lectio vij. Cap. i.**  
**L**iber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Isaac. Isaac autem genuit Iacob. Et reliqua.

De Homilia sancti Ioannis Chrysostomi.

Vnde supra, paulò post.

**D**uo sunt, quæ pariunt quæstionem. Vnum, quæ causa sit, vt in generationum catalogo Virgo si-leatur: alterum verò, quæ ratione Ioseph memoretur, cui certè nihil cum Christi generatione est commune. Videtur enim & vnum abundare, & alterum deesse. Quid ergo dicemus? quòd utique primùm illud necesse fuerit memorari, quemadmodum ex Dauid virgo descenderit. Vnde hoc itaque discemus? Audi ad Gabriel loquentem Dominum: Vade ad Virginem desponsatam viro, cui nomen Ioseph, ex domo & familia Dauid. Quid vis audire manifestius. cum ex domo & familia Dauid illam virginem esse cognoscas?

**R.** Beatam me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, & sanctum nomen eius. **V.** Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit mihi. **Lectio viij.**

**N**on erat mos apud Hebraeos, generationum catalogum per feminas texere. Vt ergo & morem custodiret, nè in ipso statim principio videretur antiqua destruc-

destruere; & nobis virginem certius indicaret; parentes eius reticens atque maiores, de Ioseph generatione non tacuit. Siue enim hæc fecisset in Virgine, nouitatis non effugisset inuidiam: siue Ioseph reticisset, non agnossemus ex qua tribu Virgo subsisteret. Vt ergo & nos discernemus, quæ esset Maria, vel vnde, & consuetudo legis permaneret immobilis, generationum catalogum vsque ad sponsum eius perduxit, ac de domo illum Dauid esse monstrauit. *Oratio huiusmodi.*  
 Felix namque es sacra virgo Maria, & omni laude dignissima; Quia ex te ortus est sol iustitiæ, \* Christus Deus noster. *Verf.* Ora pro populo, interueni pro clero, intercede pro deuoto femineo; sexus sentiant omnes tuum iuuamen; quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem. Quia ex te: gloria Patri. Christus Deus.

*Lectio ix.*

**H**oc enim declarato, illud quoque pariter ostendit, quod scilicet inde esset & Virgo; quia utique nequaquam iustus iste pateretur uxorem sibi aliunde, quam vnde lex præcipiebat, eligere. Possumus verò aliam quoque & altiore quidem proferre rationem, ob quam parentes

Virginis prætermissi sunt. Sed quæ ea est? Noluit Euangelista recenti adhuc tempore noui illius admirandique partus Iudæis esse manifestum, quod Christus natus fuisset ex Virgine. Neque proprius noster hic sermo est, sed à nobis de Patrum atque insignium virorum traditione susceptus.

**T**e Deum laudamus.

In Laudibus fit commemoratio Feriæ, & sancti Eusebii Episcopi & Martyris.

**DIE XVI. DECEMBRIS.**

**H**ic ad Laudes & per Horas dicuntur Antiphona propria Feriæ Aduentus in qua occurrit festum Expectationis B. Mariæ Virginis, omnia quæ ante eam ad Canticum dicuntur, eodem loco dicantur ea quæ ad Canticum pertinent in Psalterio; & idem hoc de Antiphona in die S. Thomæ occurrere habet, reponitis in saluato, post festum Expectationis huiusmodi in Sabbato veniens, ut scilicet Antiphona in die S. Thomæ decurrat, nunc reponantur xij. Decembris, dempta ea quæ dicitur ad Canticum, vt supra.

**DIE XVIII. DECEMBRIS.**

In festo Expectationis beate Mariæ Virginis: *De p. s.*  
 Ad Vesperas; Antiphona.  
 Missus est. cum reliquis de Laudi.

Laudibus. Psalmi, Dixit Dominus. Laudate pueri. Lætatus sum. Nisi Dominus. Lauda Ierusalem. vt in Offi-

o paulo beate Mariæ.

Capitulum. *Isaia II.*

**F**redietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.

*Hymnus.*

**C**reator alme siderum,  
Æterna lux credentium,

Iesu Redemptor omnium,  
Intende votis supplicum.

Qui dæmonis ne fraudibus  
Periret orbis, impetu

Amoris actus, languidi

Mundi medela factus es.

Commune qui mundi nefas

Vt expiaret, ad Crucem

E Virginis Sacratio

Intacta prodixit Victima.

Cuius potestas gloriæ,

Nomenque cum primùm  
sonat,

Et Cælites, & inferi

Tremente curuantur genu.

Io deprecamur vltimæ

Magnum diei Iudicem;

Armis supernæ gratiæ

Defende nos ab hostibus.

Virtus, honor, laus, gloria

Deo Patri cum Filio,

Sancto simul Paraclito,

In sæculorum secula. Amen.

*V.* Aue Maria, gratia plena.

*R.* Dominus tecum.

*Ad Magnificat Antiphona.*

Spiritus sanctus in te descendet Maria, ne timeas, habebis in vtero Filium Dei, alleluia.

*Oratio.*

**D**eus, qui de beate Mariæ virginis vtero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis; vt qui verè eam genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum.

*Deinde pro commemoratione Auentus, Antiph. O.*

*Ad Magnificat, Invocatorium.*

Aue Maria, gratia plena:

Dominus tecum. *Psalm. Venite, exultemus.* *Hymnus.*

**V**erbum supernum procedens

E Patris æterni sinu,

Qui natus orbi subuenis,

Labente cursu temporis:

illumina nunc pectora;

Tuoque amore concrema;

Vt cor caduca deserens

Cæli voluptas impleat:

vt, cum tribunal Iudicis

Damnabit igni noxios,

Et vox amica debitum

Vocabit ad cælum pios:

Non esca flammæ nigras

Voluamur inter turbines,

Vultu Dei sed compotes

Cæli fruamur gaudiis.

Patri, simulque Filio,

Tibi que sancte Spiritus,

Sicut

Sicut fuit, fit iugiter  
Sæclum per omne gloria.

Amen.

**In primo Nocturno, Añã.**  
Ecce Dominus noster cum  
virtute veniet, & illumina-  
bit oculos senorum suo-  
rum, alleluia. **Psalmus. D**o-  
mine Dominus noster. **Anti-**  
**phona.** Rorate cæli de-  
super, & nubes pluant iu-  
stum: aperiatur terra; &  
germinet Salvatorem. **Psal-**  
**mus. C**æli enarrant. **Anti-**  
**phona.** Ecce nomen Domi-  
ni de longinquo; & clari-  
tas eius replet orbem terra-  
rum. **Psalmus. D**omini est  
terra. Ex Sion species de-  
coris eius. **R.** Deus noster  
manifestè veniet.

De Isaia Propheta.

**Lectio i.** **Cap. 7. b**

**E**T adiecit Dominus lo-  
qui ad Achaz, dicens:  
Pete tibi signum à Do-  
mino Deo tuo in profun-  
dum inferni, siue in excel-  
sum supra. Et dixit Achaz:  
Non petam, & non tentabo  
Dominum. Et dixit: Audite  
ergo domus Dauid: Num-  
quid parum vobis est, mole-  
stos esse hominibus, quia  
molesti estis & Deo meo?  
Propter hoc dabit Dominus  
ipse vobis signum. Ecce vir-  
go concipiet, & pariet fi-  
lium: & vocabitur nomen  
eius Emmanuel. Butyrum

& mel comedet, vt sciat re-  
probare malum, & eligere  
bonum.

**R.** Non auferetur sceptrum  
de Iuda, & dux de femore  
eius, donec veniat, qui mit-  
tendus est: Et ipse erit ex-  
spectatio Gentium. **V.** Pul-  
chriores sunt oculi eius vino:  
& dentes eius lacte candi-  
diores. Et ipse erit.

**Lectio ij.** **Cap. 11.**

**E**T egredietur virga de  
radice Iesse, & flos de  
radice eius ascendet: Et re-  
quiescet super eum spiri-  
tus Domini: spiritus sapien-  
tiæ & intellectus, spiritus  
consilij & fortitudinis, spi-  
ritus scientiæ & pietatis:  
& replebit eum spiritus ti-  
moris Domini. Non secun-  
dum visionem oculorum iu-  
dicabit, neque secundum au-  
ditum aurium arguet: sed  
iudicabit in iustitia paupe-  
res, & arguet in æquitate  
pro mansuetis terræ: & per-  
cutiet terram virga oris sui,  
& spiritu labiorum suorum  
interficiet impium. Et erit  
iustitia cingulum lumborum  
eius: & fides cinctorium re-  
num eius.

**Resp.** Orietur stella ex Ia-  
cob: & consurget homo  
de Israël. & confringet om-  
nes duces alienigenarum:  
Et erit omnis terra pos-  
sessio eius. **Vers.** De Jacob  
erit



erit qui dominabitur, & perdet reliquias ciuitatis. Et erit omnis.

*Lectio iij. Cap. 35.*

**L**etabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi liliū. Germinans germinabit, & exultabit iactabunda & laudans. Gloria Libani data est ei: decor Carmeli & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Dicite pusillanimis: Confortamini, & nolite timere. Ecce Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, & saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cæuus claudus: & aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine. Et quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum.

*Rep.* Descendet Dominus sicut pluuia in vellus: oriatur in diebus eius iustitia, & abundancia pacis.

*V.* Et adorabunt eum omnes reges: omnes gentes seruient ei. Et abundancia gloria Patri. Et abundancia.

*Pars Hiemalis, & Verna.*

In secundo Nocturno, *Añã.*  
De Sion exhibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.

*Psalmus. E* ructauit. *Antiphona.* Ecce Deus noster, expectauimus eum, & saluabit nos, alleluia. *Psalmus. D* eus noster refugium.

*Antiphona.* Dominus veniet, occurrите illi, dicentes: Magnum principium; & regni eius non erit finis. Deus fortis, dominator, princeps pacis, alleluia. *Psalmus. M* agnus Dominus. *Verf.* Egredietur virga de radice Iesse.

*Rep.* Et flos de radice eius ascendet.

Sermo sancti Ildesonsi Archiepiscopi Toletani.

*Ex libro de Virginitate beata Maria.*

*Lectio iij.*

**D**omina mea atque dominatrix mea, dominans mihi, mater Domini mei, ancilla Filij tui, genitrix factoris mundi; te rogo, te oro, te quaeso, vt habeam spiritum Domini tui, spiritumque Filij tui, nec non & spiritum Redemptoris mei, vt de te vera & digna sapiam, vera & digna loquar, vera & digna quæcumque sunt, diligam. Tu enim es electa à Deo, assumpta à Deo, aduocata à Deo, proxima Deo, adhærens Deo, coniuncta Deo.

Visitata ab Angelo, salutata ab Angelo, benedicta ab Angelo, beatificata ab Angelo. Turbata in sermone, attonita in cogitatione, stupefaeta in salutatione, admirata in dictorum annuntiatione.

Resp. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, dicit Dominus: \* Et vocabitur nomen eius Admirabilis, Deus, Fortis. Verſ. Super folium David, & super regnum eius sedebit in æternum. Et vocabitur.

## Lectio v.

**I**nuenisse te apud Deum gratiam audis: & ne timeas iuberis. Vnde & tu fiducia roboraris, cognitione miraculorum instrueris, ad nouitatem inauditæ gloriæ proueheris. De prole ab Angelo nuntiata es; & post factum integra & pudica manes. Certa uirginitas nobis proponitur, & nasciturum ex te sanctum Dei Filium, tibi ab Angelo euangelizatur: & quæ sit nascentis Regis potentia, mirabiliter intimatur. Quomodo fiat quaris, de origine interrogas, de ratione perferutaris, de experientia requiris, de ordine sciscitaris. Audi inauditum oraculum, considera inuisitatum opus, animaduerte incognitum arcanum, attende inui-

sum factum, Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus Altissimi obumbrabit tibi.

Resp. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: \* Aperiatur terra, & geminet Saluatorem. V. Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion. Aperiatur terra,

## Lectio vi.

**T**ota inuisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te: sola persona Filij Dei in corpore tuo nascitura carnem assument de te. Ideoque quod concipietur ex te, quod nasceretur ex te, quod prodiet ex te, quod germinabitur ex te, quod parturietur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Erit enim hic magnus; hic Deus Virtutum, hic Rex omnium sæculorum, hic factor omnium rerum. Ecce beata tu inter mulieres, integra inter puerperas, Domina inter ancillas, Regina inter sorores. Ecce, ex hoc beatam te dicent omnes generationes, beatam te nouerunt omnes cælestes Virtutes, beatam te prædicant omnes Vates, beatam te celebrant omnes nationes. Beata tu fidei nostræ, beata tu animæ nostræ, beata dilectioni nostræ, beata præconiis & prædicationibus meis.

**R.** Docebit nos Dominus vias suas, & ambulabimus in semitis eius: \* Quia de Sion exiit lex, & verbum Domini de Ierusalem. **Verf.** Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob. **Quia de Sion. Gloria Patri. Quia de Sion.**

cui nomen Nazareth; ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David; & nomen virginis Maria. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

In Evangelium Luca cap. I. & in Homiliis hiemalibus de Tempore, Feria quarta Quatuor Temporum mensis Decembris.

In tertio Nocturno, **Añã.** Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. **Palm.** Benedixisti. **Antiphona.** Ecce veniet Deus & homo de domo David sedere in throno, alleluia. **Psalms.** Fundamenta eius. **Antiphona.** Annuntiate populis; & dicite: Ecce Deus Salvator noster veniet. **Psalms.** Cantate. **j. Verf.** Egredietur Dominus de loco sancto suo. **Resp.** Veniet ut saluet populum suum.

**A**D Mariam virginem Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur: illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aereas potestates humilis apparere dignatus est. De quo per Psalmistam dicitur: Dominus fortis & potens, Dominus potens in praelio. Et nuntium: Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. Per Dei ergo fortitudinem nuntians erat, qui Virtutum Dominus, & potens in praelio, contra potestates aereas ad bella veniebat. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Bene gratia plena vocatur, quæ mirum gratiam, quam nulla alia meruerat, allequitur; ut ipsum videlicet gratiæ concipiat & generet auctorem.

Si hoc festum venerit in Feria quarta Quatuor Temporum Adventus, loco sequenti Homiliae leguntur tres Lectiones Homiliae eiusdem Ferie iij. cum Responsoriis que hic assignantur.

LECTIO sancti Evangelij secundum Lucam.

Cap. I. c.

LECTIO vii. In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ,

**R.** Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. **V.** Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. **V.** Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei, Spiritus sanctus.

Lectio viij.

**E**cce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Iesus Saluator, siue salutaris, interpretatur: cuius sacramentum nominis; alloquens Ioseph, Angelus exposuit: Ipse enim (inquiens) saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Non autem populum Israël, sed populum suum, hoc est in unitatem fidei: ex præputio & circumcissione vocatum: quibus ex diuersa parte vocatis, fieret vnus pastor, & vnum ouile. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius. Idem ergo Filius Altissimi, qui in utero virginali conceptus & natus est. Idem homo in tempore creatus ex matre, qui Deus est ante tempora natus ex Patre. Si autem idem homo qui Deus est; omittat Nestorius, hominem

tantum dicere ex Virgine natum.

**Resp.** Suscipe verbum virgo Maria, quod tibi à Domino per Angelum transmissum est: concipies & paries Deum pariter & hominem: **Vt benedicta dicaris inter omnes mulieres.** **V.** Paries quidem filium, & virginitatis non patiens detrimentum: efficietis grauida, & eris mater semper intacta. **Vt benedicta.** **Gloria Patri.** **Vt benedicta.**

Lectio ix.

**I**deoque, & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Ad distinctionem nostræ sanctitatis, Iesus sanctus singulariter nasciturus asseritur. Nos quippe etsi sancti efficimur; non tamen nascimur, quia ipsa naturæ corruptionis conditione constringimur, vt merito cum Propheta gementes singuli dicamus: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Ille autem solus veraciter sanctus est, qui vt ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus est. Sanctum, inquit, vocabitur Filius Dei. Quid hic dicis Nestoriane, qui beatam Mariam Dei negans esse genitricem, aperte

apertè niteris impugnare veritatem? Ecce Deum dixit superuenturum, Dei Filium nasciturum. Quomodo ergo aut Dei Filius Deus non est, aut qua Deum edidit, quomodo Theotócos, id est, Dei genitrix, non esse potest.

Te Deum laudamus.

A D L A V D E S

& per Horas. Añ.a.

**M**issus est Gabriel Angelus ad Mariam virginem desponsatam Ioseph. Psalmus. Dominus regnauit cum reliquis de Dominica.

**Antiphona.** Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus, alleluia. **Antiphona.** Ne timeas Maria, Inuenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies, & paries filium, alleluia. **Antiphona.** Dabit ei Dominus sedem David patris eius, & regnabit in æternum. **Antiphona.** Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.

Capitulum. *Isaia II.*

**E**. Gredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.

Hymnus.

**E**n clara vox redarguit Obscura quæque, perfonans: Procui surgentur somnia: Ab alto Iesus promicat.

Mens iam resurgat torpida, Non amplius iacens humi: Sidus refulget iam nouum, Ut tollat omne noxium.

En Agnus ad nos mittitur Laxare gratis debitum: Omnes simul cum lacrymis Precemur indulgentiam: Ut, cum secundo fulserit, Metuque mundum cinxerit, Non pro reatu puniat, Sed nos pius tunc protegat. Virtus, honor, laus, gloria Deo Patri cum Filio, Sancto simul Paraclito, In sempiterna sæcula.

Amen.

**Y.** Spiritus sanctus superueniet in te. **R.** Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

**Ad Benedictus, Antiphona.** Super solium David, & super regnum eius sedebit in æternum.

Oratio.

**D**eus, cui de beatæ Mariæ virginis utero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis; ut qui verè con. genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuemur. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum.

Deinde fit commemoratio Ferie.

**Ad Tertiam, Antiphona.** Ave Maria. Capitulum. E gredietur virga. vt supra.

**R.** breue. Tu exurgens Domine, \* Misereberis Sion. Tu exurgens. **V.** Quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. Misereberis. Gloria Patri. Tu exurgens. **V.** Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum. **R.** Aperiat terra, & germinet Saluatorem.

Ad Sextam, Antiphona.

Ne timeas Maria.

Capitulum. *Isaia 7. c*

**E**cce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Eminanuel. Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.

**R.** breue. Rorate cæli desuper, \* Et nubes pluant iustum. Rorate. **V.** Aperiat terra, & germinet Saluatorem. Et nubes. Gloria Patri. Rorate. **V.** Emitte Agnum Domine Dominatorem terræ. **R.** De Petra deserti ad montem filia Sion.

Ad Nonam, Antiphona.

Ecce ancilla Domini.

Capitulum. *Isaia 45. b*

**R**orate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiat terra, & germinet Saluatorem, & iustitia oriatur simul: ego Dominus creauit eum.

**R.** breue. Emitte Agnum Domine, \* Dominatorem terræ. Emitte. **V.** De Petra de-

ferti ad montem filia Sion. Dominatorem. Gloria Patri. Emitte. **V.** Spiritus factus superueniet in te. **R.** Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

In secundis Vesperis,

Antiphona.

**M**isus est Gabriel Angelus ad Mariam virginem desponsatam Ioseph. Psalmi. Dixit Dominus. Antiphona. Aue Maria, gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. alleluia. Psalmus. Laudate pueri Dominum. Antiphona. Ne timeas Maria, inuenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies, & paries filium, alleluia. Psalmi. I. ætatus sum. Añã. Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in æternum. Psalmi. Nisi Dominus. Añã. De fructu ventris tui ponam supra sedem tuam. Psalmi. Memento Domine Dauid.

Capitulum. Hymnus & **V.** vt in primis Vesperis. 23.

Ad Magnificat, Antiphona. O Virgo virginum, quomodo fiet istud? quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem. Filia Ierusalem quid me admiramini? Diuinum est mysterium hoc, quod cernitis.

Oratio. Deus, qui de beata Maria. **R.** supra. 29.

Pro commemoratione Ad-  
uentus, Antiphona. O.

DIE XXX. DECEMBRIS.

In festo Translationis S. Ia-  
cobi Apostoli, & Hispania-  
rum Apostoli & Patro-  
ni. Duplex maior.

In utrisque Vesperis, An-  
tiphona. Tecum principium.  
cum reliquis Antiphonis &  
Psalmis ex secundis Vesperis  
Natiuitatis Domini.

Capitulum. I. Cor. 4. b

**F**Ratres: Puto, quod Deus  
nos Apostolos nouissi-  
mos ostendit, tamquam mor-  
ti destinatos: quia spectacul-  
um facti sumus mundo, &  
Angelis, & hominibus.

Hymnus.

**D**efensor alme Hispa-  
nia,

Iacobe, vindex hostium,

Tonitru quem filium

Dei vocauit Filius:

Huc cæli ab altis sedibus

Conuerte dexter lumina,

Audiue lati debitas

Grates tibi quas soluimus.

Grates refert Hispania,

Felix tuo quæ nomine

Te gloriatur iugiter

Dignata sacris ossibus.

Tu, cæca nox atque impia

Nos cum teneret vanitas,

Lucem salutis primitus

Oris Iberis impetras.

Tu, bella cum nos cinge-

rent,

Es visus ipso in prælio,

Equoque & ense acerrimus  
Mauros furentes sternere.

Freti tuo nos pignore,

Largum tuo te munere:

Rogamus omnes, vt tuæ

Spè protegas presentia.

Iesu, tibi sit gloria,

Qui natus es de Virgine,

Cum Patre, & almo Spiritu,

In sempiterna sæcula. Amen.

Verf. In omnem terram exi-

uit sonus eorum. Resp. Et

in fines orbis terræ verba

eorum.

Ad Magnificat. Antiphona.

Misit Herodes rex manus;

vt affligeret quosdam de Ec-  
clesia: occidit autem Iaco-

bum fratrem Ioannis gladio.

Oratio.

**D**Eus, qui dispositione  
mirabili corpus beati

Iacobi Apostoli tui de Iero-

solyms ad Hispaniam transf-

ferri, & in Compostella glo-

riose sepeliri voluisti: conce-

de, quaesumus; vt eius meri-

tis & precibus in caelesti Ie-

rusalem collocari mereamur.

Per Dominum nostrum Ie-

sam Christum.

Postea fit commemoratio

S. Thomæ Cantuariensis, si

non contingat transferri ad

Vigiliam Epiphaniæ, iuxta

Breue Gregorij XIII. in prin-

cipio appositum, deinde Octa-

uarum.

Si Dominica ( aut dies in

quo ad formam Breuarij

fit de ea) venerit isto die; fiet commemoratio Dominicæ in primis Vesperis, & ad Laudes ante commemorationem Octauarum. & nona Lectio legitur de Homilia Dominicæ. In secundis autem Vesperis, post commemorationem S. Siluestri fit commemoratio Dominicæ & Octauarum.

Quando verò fit de Dominicæ in die præcedenti vel in sequenti, fiet commemoratio Dominicæ in primis vel in secundis Vesperis respectiue ante commemorationem Octauarum.

Ad Matutinum: omnia de Communi Apostolorum præter ea quæ hic habentur propria; & in Laudibus fit commemoratio Octauarum.

In primo Nocturno Lectiones de Epistola prima ad Corinthios. Sic nos existimet homo, de Communi Apostolorum.

℞. j. Procedens Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, in nauis, \* Et vocauit eos, qui statim relictis retibus, & patre, secuti sunt Dominum. † Erant Iacobus & Ioannes fratres in nauis cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua. Et vocauit eos.

℞. ij. Vocauit ad se Dominus Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem Iacobi, & fecit vt essent secum inter duodecim; & vt mitteret eos prædicare. \* Et imposuit eis nomina, Boanerges: quod est, filij tonitruis. † In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et imposuit.

℞. iij. Cùm venisset Iesus in domum principis synagogæ, \* Non permisit intiare secum quemquam, nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem & matrem puellæ. † Et dixit: Nolite flere: non est mortua puella, sed dormit. Non permisit. Gloria Patri, Non permisit.

In secundo Nocturno.

Lectio iij.

**C**ompostellanæ Ecclesiæ monumentis traditur, sancti Iacobi Zebedæi filij corpus ex vrbe Ierosolyma per vastissimum mare, singulari Dei prouidentia aduectum, ad extremas Hispaniæ oras appulisse. Cuiusque in Iriæ Flauicæ (quod est Gallaciæ oppidum) portu primum constitisset, non longè ab eo portu, in loco qui nunc Compostella dicitur, conditum, ob frequentes persecutiones, longo tempore latuisse. Sacrum hunc thesaurum



rum, Alfonso Regi Legionis (qui ob insignem pudicitiam Castus dictus est) diuinitus indicatum, idem Rex insigni Basilica, aliisque donis exornauit.

*Pl.* Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum secretum. Et transfiguratus est ante eos. Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. Et transfiguratus.

*Lectio v.*

**A**B eo tempore, multis magnisque miraculis sancti Iacobi memoria nobilitari coepta est. Ipse etiam gloriosus Apostolus in difficillimis praeliis palam se conspiciendam praebens, Hispanos aduersus infideles pugnantem mirifice iuuat. Quare factum est, ut uniuersa Hispania sanctum Iacobum praecipuum sibi Patronum diuino munere concessum, asciuerit; & usque ad hanc diem in primis coluerit. Ceterum tanti Apostoli crebra miracula non modo intra Hispanias, sed in omnibus etiam Christianis prouinciis celebrata, fecerunt, ut, quemadmodum Ierosolyman ad sepulchrum Domini, & Romam ad Apostolorum limina; sic etiam Compostellam, ad sancti Iacobi reliquias undique confluant,

religionis & voti causa, ex toto Christiano orbe peregrini.

*12.* Potestis bibere calicem quem ego bibo? aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? dixit Iesus Iacobo & Ioanni, filiis Zebedaei. At illi dixerunt ei, Possumus.

*13.* Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis; & baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini. At illi.

De Expositione sancti Augustini Episcopi super Psalmum octogesimum sextum.

*Ante medium. Lectio vi.*

**F**undamenta eius in mortibus sanctis: diligit Dominus portas Sion. Quare sunt fundamenta Apostoli & Prophetarum: quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram. Quare sunt portae? quia per ipsos intramus ad regnum Dei. Praedicant enim nobis; & cum per ipsos intramus, per Christum intramus. Ipse est enim ianua. Et cum dicuntur duodecim portae Ierusalem, & una porta Christus, & duodecim portae Christus, quia in duodecim portis Christus; & ideo duodenarius numerus Apostolorum. Sacramentum magnum huius duodenarii significatio est numeri. Sedebitis, inquit, super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.

**R.** Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem secum, & coepit pauere, & tædere. \* Et ait illis: Tristis est anima mea vsque ad mortem. **V.** Sustinete hîc, & vigilate mecum. Et ait illis. Gloria Patri. Et ait illis.

**In tertio Nocturno.**

**L**ectio sancti Euangelij secundum Matthæum.

**Lectio vij. Cap. 20. c.**

**I**n illo tempore: Accessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia sancti Ioannis Chrylostomi.

**Homilia 66. in Matth.**

**N**on turbetur quisquam, si adeo imperfectos dicimus Apostolos fuisse: nondum enim mysterium crucis erat consummatum, nondum gratia Spiritus in corda ipsorum intusa. Quod si virtutem ipsorum discere cupis, quales post datam gratiam Spiritus fuerint, considera, & videbis omnem ab illis peruersam affectionem fuisse superatam. Hac enim de causa eorum modo imperfectio reuelatur, vt aperte percipere possis, quales subito per gratiam effecti fuerint. Quod igitur nihil spiritale petebant, nec de cælesti regno quidquam cogitabant, perspicuum est.

Sed tamen inspiciamus etiam quomodo accedant, & quid dicant: Volumus, inquit, vt quodcumque petierimus, facias nobis. Ad quos Christus: Quid vultis? respondit non ignorans certè, sed vt eos respondere cogat, & vlcus detegat, & ita medicamentum apponat.

**R.** Misit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia: \* Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. **V.** Ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis. Occidit autem.

**Lectio viij.**

**I**lli verò cum erubescerent, & verecundia prohiberentur, quoniam humano affectu eò deuenerant, seorsum ab aliis discipulis Christum accipientes, interrogauerunt. Progressi sunt enim, inquit, ne illis manifesti fierent: & ita demum ea quæ volebant, dixerunt. Volebant autem, vt ego conicio, quoniam super duodecim sedes sessuros discipulos audierunt; primatum huius confessus impetrare: & præponi quidem se ceteris sciebant. Petrum verò sibi præferri formidantes, dicere ausi sunt: Dic vt vnus à dextris, alter à sinistris sedeat. Et vrgent dicentes: Quid

Quid igitur ipse? Ut significaret eos nihil petere ipiritale, sed nec scire quidem quid postulent: non enim petere auderent, si scirent; Nescitis, ait, quid petatis: nescitis quam magnum hoc sit, quam mirabile, ac ipsas superiores excedens virtutes.

Re'p. Iste est, qui ante alios Apostolos primus plantauit Ecclesiam sanguine suo: Cuius corpus in Gallæciam delatum, per totum orbem gloria illustratur. Veri. O si-  
 dus, ô decus Hispaniæ, sancte Iacobe Apostole, intercede pro nobis ad Deum qui te elegit: Cuius corpus. Gloria Patri. Cuius corpus.

Si Dominica (aut dies in quo ad formam Beati Petri de ea) venerit isto die, nona Lectio legitur de Homilia Dominica.

Lectio ix.

**E**T adiecit: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Perpendis, quomodo statim ab hac opinione ipsos remouit, contraria eis differens. Nam vos, inquit, de honoribus & de coronis mecum agitis: ego vero de luctamine atque sudore dissero. Non præmiorum hoc tempus est,

nec illa gloria mea modo apparebit: sed cordis ac periculorum tempus præsens est. Perspice autem, qualiter ipsa interrogationis modo & hortatur & allicit: Non enim dixit: Potestisne eadem subire? Potestisne vestrum effundere sanguinem? sed, Quonam pacto potestis bibere calicem? Deinde alliciens, inquit, Quem ego bibiturus sum: ut ipsa cum eo communicatione laborum promptiores redderentur.

T. e Deum laudamus.

A D L A V D E S

& per Horas, Aña.

**A**ccessit ad Iesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans & petens aliquid ab eo. Psalmus. Dominus regnavit. cum reliquis de Dominica. Antiphona. Dic, ut sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Antiphona. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicant ei: Possimus. Antiphona. Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam & ad sinistram, non est meum dare vobis: sed quibus paruum est à Patre meo. Antiphona. Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister.

Capitulum. *1. Cor. 4. b*

**F**ratres: Puto, quod Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.

## Hymnus.

**I**esu salus mortalium,  
 Nobis ades, dum dicimus  
 Laudes Patrono Hispaniæ,  
 Tuam canentes gloriam,  
**L**audandus hic est vnice,  
 Quod primus in certamine  
 Apostolis ex omnibus  
 Pro te profudit sanguinem.  
**T**ui beatus pluribus  
 Notis amoris maximi,  
 Quod testis vsque interfuit  
 Reconditis mysteriis:  
**S**eu vi potentis dexteræ  
 Surgit Iairi filia,  
 Quando in paternis adibus  
 Est excitata ab inferis:  
**S**eu vultus, vt sol, splen-  
 didus,  
 Et vestis, vt nix, candida,  
 Thaboris alto in vertice  
 Signum tuæ dant gloriæ:  
**S**eu monte oliuis confito  
 Angoris est iudex tui  
 Sudor, tuo de corpore  
 Ceu gutta manans sanguinis.  
**I**esu, tibi sit gloria,  
 Qui natus es de Virgine,  
 Cum Patre, & almo Spiritu  
 In sempiterna sæcula. Amen.  
 Vers. Annuntiauerunt opera  
 Dei. Et facta eius intel-  
 lexerunt.

## Ad Benedictus, Antiphona.

Visitauit nos per sanctum suum Apostolum, & fecit salutem de inimicis nostris Dominus Deus noster.

## Oratio.

**D**eus, qui dispositione mirabili corpus beati Iacobi Apostoli tui de Ierosolymis ad Hispaniam transferri, & in Compostella gloriose sepeliri voluisti: concede quaesumus; vt eius meritis & precibus in caelesti Ierusalem collocari mereamur. Per Dominum nostrum.

Et sunt Commemorationes iuxta Rubricam superius positam in primis Vesperis. 32.

## Ad Tertiam, Antiphona.

Dic, vt sedeant. Capitulum. Fratres: Puto, quod Deus. vt supra. 36.

*R. breue.* In omnem terram, \* Exiuit sonus eorum. In omnem. *Ps.* Et in fines orbis terræ verba eorum. Exiuit. Gloria Patri. In omnem. *Ps.* Constitues eos principes super omnem terram. *R.* Memores erunt nominis tui Domine.

## Ad Sextam, Antiphona.

Potestis bibere calicem.

Capitulum. *1. Cor. 4. c*

**N**os stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles.

**R. br.** Constitues eos principes, \* Super omnem terram, Constitues. **V.** Memores erunt nominis tui Domine. Super. Gloria Patri. Constitues. **V.** Nimis honorati sunt amici tui Deus. **R.** Nimis confortatus est principatus eorum.

**Ad Nonam, Antiphona.**

Quicumque voluerit.

**Capitulum.** 1. Cor. 4. d

**N**am si decem millia pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres: nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.

**R. breue.** Nimis honorati sunt, Amici tui Deus. Nimis. **V.** Nimis confortatus est principatus eorum. Amici. Gloria Patri. Nimis. **V.** Annuntiauerunt opera Dei. **R.** Et facta eius intellexerunt.

**Ad Vesperas, Antiphona.**

Tecum principium, cum reliquis Antiphonis & Psalmis de Natiuitate.

**Capitulum, & Hymnus,**

vt in primis Vesperis. 31.

**Vers.** Annuntiauerunt opera Dei. **R.** Et facta eius intellexerunt.

**Ad Magnificat, Antiphona.**

O beatum Apostolum, qui inter primos electus, primus omnium Apostolorum, Domini calicem bibere meruit! O gloriosum Hispaniæ re-

gnum, tali pignore ac patrono munitum, per quem fecit illi magna, qui potens est, alleluia.

**Oratio.** Deus, qui dispositione mirabili. 36.

Et fiunt Commemorationes secundum Rubricam supra positam in j. Vesperis. 2.

**FESTA IANVARII.**

**DIE XXIII. IANVARII.**

In festo sancti Ildefonsi Archiepiscopi Toletani confessoris. Duplex.

**Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter Orationem & Lectiones.**

**Oratio.**

**E**Xaudi, quæsumus Domine, preces nostras, quas in beati Ildefonsi confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus: & qui tibi dignè meruit famulari, eius intercedentibus meritis, ab omnibus nos absolue peccatis. Per Dominum nostrum.

Et fit commemoratio de SS. Vincentio & Anastasio martyribus, Añã. Gaudent in cælis animæ sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti; & quia pro eius amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exultant sine fine. **V.** Exultabunt Sancti in gloria. **R.** Lætabuntur in cubilibus suis.

**Oratio.**

**A**desto Domine supplicationibus nostris: vt qui ex iniquitate nostra reos

nos esse cognoscimus, beatorum martyrum tuorum Vincentij & Anastasij intercessione liberemur.

Postea de sancta Emerentiana, virgine & martyre, Antiphona. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus preparauit in aeternum. *V.* Specie tua, & puritudo tua. *R.* Intende, prosperè procede, & regna.

*Oratio.*

**I**ndulgentiam nobis, quaesumus Domine, beata Emerentiana virgo & martyr impleret; qua tibi grata semper exitit & merito castitatis, & tuae professione virtutis. Per Dominum nostrum Iesum Christum.

In primo Nocturno, *Lectioes de Comuni Confessoris Pontificis. Fidelis sermo.*

In secundo Nocturno. *Ex Surio Tom. I. & aliunde.*

*Lectio iij.*

**I**ldefonsus, qui & Alfonso dicitur, ratione Hispanus, Toleti nobilissimis Stephano & Lucia parentibus ortus, omniq̄ cura nutritus, liberalibus disciplinis instructus est. Primum habuit præceptorem Eugenium Toleranum Antistitem, à quo miram ob indolem Hispalim ad Isidorum, mira tunc eruditione pollentem,

est missus. Duodecim apud Isidorum commoratus annos, tandem fruge bona, doctrinaq̄ sana imbutus, Toletum remeavit ad Eugenium. Postquam verò factus est ob vitæ candorem, peritiamq̄ non vulgarem, ab Eugenio Ecclesiae Tolertanæ Archidiaconus, mundi cupiens laqueos declinare, in Agaliensi Monasterio, quod sanctis martyribus Cosmæ & Damiano tunc erat dicatum, insigne pietatis cucullum induit. Cui neque parentes iam prece, iam vi, omnia tentantes, obistere valuerunt, quin constanter in proposito permaneret.

*Resp.* Inueni David seruum meum, oleo sancto meo unxi eum: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. *V.* Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocet ei. Manus enim.

*Lectio v.*

**M**onachi non multò post Ildefonsum in de mortui Abbatis locum subrogarunt: suspiciebant siquidem in eo (præter virtutes reliquas) æquitatem, morum facultatem, prudentiam, raram sanctitudinem. Tantis itaque fulgor, tanta veteræ pietatis lux (quod ipse timebat) latere non potuit. *Euge-*

Eugenio namque vita sancto, Cleri, Senatus, totiusque populi decreto Toletanus Archiepiscopus est creatus. In quo quidem Præsulatu, quantum verbo Ildefonsus profecerit, quæ miracula ediderit, quam multis fuerit nominibus de Virgine matre benè meritus, non facile quis explicare quiverit. Cenobium Virginum in Deillenti villula edificauit, ac magnis muneribus auxit. Hæreticos quosdam, qui in Hispania hæresim Eluidianam, tollentem perpetuam Mariæ Dei genitricis virginitatem, disseminabant, doctissime consultauit, ab Hispaniaque depulit: quam disputationem explicauit libro, quem scripsit de beatæ Mariæ virginitate, rem miraculo confirmante. Cum enim Ildefonsus ad preces Matutinas Expectationis beatæ Mariæ in Ecclesiam nocte descenderet, comites eius in Ecclesiæ limine, fulgore quodam repentino deterriti, retrocesserunt. Ille verò intrepidus ad aram progressus, Virginem ipsam vidit, & adorauit: ab eademque vestem, qua in sacrificiis vteretur, accepit.

Resp. Posui adiutorium super potentem, & exaltaui electum de plebe mea:

\* Manus enim mea auxiliabitur ei. Vers. Inueni Dauid seruum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea.

### Lectio vi.

Cum etiam dies sanctæ Leocadiæ festus ageretur, & Clerus frequensque populus conuenisset, Ildefonsus ad sepulchrum virginis Leocadiæ accedens, flexis suppliciter genibus precabatur. Et ecce reserato repente sarcophago, Leocadia sanctissima prodiit: videntibusque cunctis & audientibus; Ildefonsi merita de virgine Maria commendauit dicens: O Ildefonse, per te viuit Domina mea, quæ cæli culmina tenet. Et Præsule colaudato redibat. Ildefonsus, nè res sine testibus tanta posteris referretur, arrepto Reccesunthi Regis, qui fortè tunc aderat, gladiolo, velaminis partem, quo caput Leocadiæ tegebatur, rescuit; eamque cum regio simul culto celebri pompa in sacrarium intulit, vbi usque hodie seruetur. Scripsit multa luculentiori sermone; quorum, variis molestiarum occupationibus impeditus, aliqua cæpta, aliqua semiple-na reliquit. Obiit tandem diuus Ildefonsus feliciter ac sanctè,

sanctè, cum sedisset in Episcopatu annos louem, menses duos: sepultusque est in Basilica Leocadiæ circa annum Domini sexcentessimum septuagesimum septimum, Receluinto in Hispania regnante. Cuius corpus in generali à Sarracenis Hispaniarum occupatione in ciuitatem Zamorensis translatum est: & in Ecclesia beati Petri honorificè quiescens, magna illius populi religione colitur.

**R.** Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina eius repleta est: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Iste est qui contempfit vitam mundi, & peruenit ad caelestia regna. Ipse intercedat. **Gloria Patri.** Ipse intercedat.

In tertio Nocturno Homilia in Euangelium. Vos estis sal terræ. **vt in Communi Doctorum.**

Lectio nona de sancta Emerentiana. Quòd si festum sancti Ildesonsi in Dominica celebretur, nona Lectio erit de Homilia Dominice.

In Laudibus fit commemoratio sancte Emerentianæ, Antiphona. Simile est regnum calorum homini negotiatori querenti bonas margaritas: inuenta vna pretiosa,

dedit omnia sua, & comparauit eam. **V.** Diffusa est gratia in labiis tuis. **R.** Propterea benedixit te Deus in æternum.

**Oratio.** Indulgentiam. **vt supra. 38.**

**E. E. S. T. A. A. P. R. I. L. I. S.**  
**D. I. E. I. V. A. P. R. I. L. I. S.**

Sancti Isidori Archiepiscopi  
Hispalensis, Confessoris & Doctoris.

**Duplex.**

Si hoc Festum venerit in maiori Hebdomada, vel infra Octauam Paschæ, transferat post Octauam, habet Rubricam de Translatione Festorum: & tunc in Antiph. Magna, Vers. & Resp. ad. **Alleluia** & tres **Psalmi** dicantur per singulos **Nocturnos** sub prima Antiphona illius **Nocturni**: quod etiam fit in omnibus Festis que celebrantur tempore Paschali.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter ea que hic habentur propria.

Ad Magnificat in vtrisque Vesperis, Antiphona. O Doctor optime, Ecclesie sancte lumen, beate Isidore, diuine legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

**Oratio.**

**D**eus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Isidorum ministrum tribuisti: præsta



præsta quæsumus; ut quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cælis. Per Dominum nostrum.

Si celebratur in Quadragesima, sit commemoratio Ferie in primis & secundis Vesperis.

In primo Nocturno, Lectiones. Sapientiam omnium antiquorum, ut in Communi Doctorum.

In secundo Nocturno.

Ex S. Braulio Episcopo Casaraugustano, & aliis.

Lectio iii.

**I**sidorus natione Hispanus, Hispaniarum Doctor egregius, ex noua Carthagine, cui pater ipsius Severianus dominabatur, à sanctis viris Leandro Archiepiscopo Hispalensi, & Fulgentio Episcopo Astigitano, fratribus suis, sanctè & liberaliter in studio litterarum educatus est, & ingentem doctrinam Latinè, Græcè atque Hebraicè cum magna nominis claritate consecutus. Hic adolescens adhuc, hæresim Arianam, quæ Gentem Gothorum Hispaniæ latissimè dominantem penitus iam pridem inuaserat, tam constanter palàm arguebat, ut propè fuerit ut ab Arianis necaretur. Sed cohibitus à Leandro, hunc sibi successorem fore præsa-

gente, & ut se commodiori tempore reseruaret admonitus, indignationem temperauit.

Resp. Inueni David seruum meum, olco sacro meo vnxi eum: \*Manus enim mea auxiliabitur ei. V. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus. Lectio v.

**I**gitur Leandro vita functo, Isidorus magno Regis Recaredi & populi consensu in Hispalensi Archiepiscopatu sufficitur. Quam electionem sanctus Gregorius Papa confirmauit, eique pallium misit in Hispaniam. Quantum verò Pontifex factus fuerit constans & humilis, patiens & benignus, compatiens miseris & pauperibus, & cunctis virtutibus insignitus, nullius lingua sufficeret ad narrandum. Construxit monasteria & collegia ædificauit, in quibus studiis sacris & diuinis lectionibus vacans, plurimos discipulos, qui ad eum confluebant, erudiuit: inter quos fuit beatus Ildefonsus Toletanæ Ecclesiæ postea Archiepiscopus. Scripsit librum Etymologiarum; & sacri Canonis libros plurimos commentatus est; & tot tantaque alia volumina scripsit, ut humana vix vita tantis suffectura laboribus videatur. Sed qui Deo student, nihil non procliuè sentiunt, nihil

nihil frustra conantur, nihil non ex voto consequuntur.

**R.** Posui adiutorium super potentem, & exaltaui electum de plebe mea: \* Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Inueni David seruum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea.

**Lectio vi.**

**F**uit denique Isidori tanta doctrinae ac sanctitatis opinio, ut, coacto Concilio generali, vltro sit a Pontifice maximo vocatus: vbi mirum est quantum ponderis & auctoritatis habuerit in singulis rebus Isidori sententia apud Pontificem, & omnes Praelatos. Reuersus autem in Hispaniam cum suam mortem & Hispaniae vastationem à Sarracenis publicè praedixisset, migravit è vita pridie Nonas Aprilis, anno Domini sexcentesimo trigesimo quinto, Sisenando in Hispania regnante. Cuius corpus sepulchrum primò Hispali, deinde translatum fuit in urbem Legionem à Fernando primo Castellae simul & Legionis

Rege; qui illud ab Eneto Sarraceno Hispali regnante magnis precibus & praemiis impetrauit. cuius nomine templum aedificatum est Legionis; vbi sepultus, miraculis clarus, colitur magna populi religione.

**R.** Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina eius repleta est: \* Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **V.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & peruenit ad caelestia regna. Ipse intercedat. **G**loria Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno, **Homilia in Euangelium.** V'os estis sal terrae, ut in **Communione Doctorum.**

Si celebratur in **Quadragesima**, nona **Lectio** dicitur de **Homilia Feriae occurrentis**, & de ea fit commemoratio.

**DIE XIII. APRILIS.**

In festo sancti **Hermenegildi** martyris.

**Duplex.**

Omnia dicuntur ut in **Breviario Romano.**

# EXORCISMVS

CONTRA

IMMINENTEM TEMPESTATEM

FVLGVRVM, ET GRANDINIS.



**P**ER signum ✠  
Crucis, de ini-  
micis ✠ no-  
stris, libera nos  
✠ Deus no-  
ster. In nomine Patris, ✠  
& Filij, & Spiritus sancti,  
Amen.

Dicatur Symbolum fidei,  
scilicet **C**redo in Deum Pa-  
trem, &c. Deinde **K** yrie  
eleison. **C**hriste eleison.  
**K** yrie eleison. **P**ater no-  
ster. *Verf.* Adiutorium no-  
strum in nomine Domini.  
*Resp.* Qui fecit cælum & ter-  
ram. *Verf.* Sit nomen Do-  
mini benedictum. *Resp.* Ex  
hoc nunc & vsque in sæ-  
culum. *Verf.* Exurgat Deus,  
& dissipentur inimici eius.  
*R.* Et fugiant qui oderunt  
eum, à facie eius. *Verf.* Ex-  
surge **C**hriste, adiuua nos.  
*R.* Et libera nos propter  
nomen tuum. *Verf.* Domi-  
ne exaudi orationem meam.  
*Resp.* Et clamor meus ad  
te veniat. *Verf.* Dominus  
vobiscum. *R.* Et cum spiri-  
tu tuo.

**O** remus. *Oratio.*

**D**omine Iesu **C**hriste,  
qui fecisti cælum &  
terram, mare, & omnia quæ  
in eis sunt, quique flumini  
Iordani benedixisti, atque in  
eo baptizari voluisti, & tuas  
sanctissimas manus & bra-  
chia sacratissima in cruce ex-  
tendisti, quibus aërem san-  
ctificasti: obsecramus immen-  
sam pietatis & bonitatis tuæ  
abundantiam, quatenus nubes,  
quas ante me, & post  
me, & supra me, à dextris  
& à sinistris video aërem per-  
turbare, dissoluere & anni-  
hilare digneris: vt alligata po-  
testas dæmonum impiè defæ-  
uientium deficiat & turbetur,  
ad laudem tui sanctissimi no-  
minis, & potentissimæ ma-  
iestatis tuæ. Qui viuis & re-  
gnas cum Deo Patre in vni-  
tate Spiritus sancti Deus, per  
omnia sæcula sæculorum.  
*R.* Amen.

Posteà conuersus ad nu-  
bes, signat eas signo ✠ di-  
cens: Circumdet te nubes  
Deus ✠ Pater. Circumdet te  
Deus

Deus ✠ Filius. Circumdet te Deus Spiritus ✠ sanctus. Destruat te Deus ✠ Pater. Destruat te Deus ✠ Filius. Destruat te Deus Spiritus ✠ sanctus. Comprimat te Deus ✠ Pater. Comprimat te Deus ✠ Filius. Comprimat te Deus Spiritus ✠ sanctus. Amen.

**Obsecratio.** Sanctus Matthæus, sanctus Marcus, sanctus Lucas, sanctus Ioannes Euangelista, qui Christi Euangelium per quatuor mundi partes diuulgauerunt, ipsi suis meritis & precibus hanc tempestatem à termino isto, & ab omnibus Christianorum finibus, ab eodem Domino nostro Iesu Christo obtineant effugari & depelli.

### EXORCISMVS.

**F** r ego peccator, & Christi Sacerdos seu minister, licet indignus, auctoritate & virtute eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi summi Imperatoris, non mea potentia innixus & confusus, vobis præcipio immundissimi spiritus, qui has nubes seu nebulas concitatis, in virtute eiusdem Dei & Domini nostri Iesu Christi, per ✠ sanctissimam eius Incarnationem, per sanctam Natiuitatem, per Baptismum & Ieiunium ipsius, per eius san-

ctissimam Crucem ✠ & Passionem, per sanctam Resurrectionem, per admirabilem Ascensionem, per tremendum Aduentum eius & Iudicium, per merita intermeratæ semperque Virginis Mariæ & sanctissimi N. & per merita omnium Sanctorum, vt exeatis ab eis, & eas dispergatis in locis siluestribus & incultis, quatenus nocere non possint hominibus, animalibus, fructibus, herbis, arboribus, aut quibuscumque rebus humanis vrbibus deputatis. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem. Amen. Ipse vobis imperat, daemones, qui has nubes commouetis, de quod nube lucida dictum est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. ✠ Ipse vobis imperat, qui sua sacratissima Cruce, & corporis sui sanctissimi in ea extensione aërem purgauit. ✠ Ipse vobis imperat, qui per mortem suam vos, principem vestrum, mortemque deuicit, ligauit, atque aeternæ gehennæ mancipauit ignibus. ✠ Ipse vobis imperat, qui inferno spoliato surrexit à mortuis. ✠ Ipse vobis imperat, qui post quadraginta dies nube susce-

fulceptus virtute sua ascendit in cælum. ✠ Ipse vobis imperat, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & sæculum per ignem.

℞. Amen.

Et postea ostendat Crucem in aëra, dicens:

Ecce lignum sanctissimæ Crucis, fugite partes aduersæ: vicit enim vos & mundum Dominus noster Iesus Christus Filius Dei, Imperator summus, leo de tribu Iuda, radix David.

Postea aqua benedicta in modum Crucis ✠ aspergat quatuor latera. Dicendæ sunt etiam Litaniæ: si nondum quieuit tempestas. Psalmus. Quicumque vult. Antiphona. Aue Regina. & Sub tuum præsidium. Canticum. Benedicite omnia. cum V. Gloria Patri, & Filio. in quolibet versu dicti Cantici.

Deinde Vers. Benedicamus Patrem & Filium cum sancto Spiritu. Resp. Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula. Vers. Ora pro nobis sancta Dei genitrix. ℞. Ut digni efficiamur promissionibus Christi. Vers. Exurge Christe, adiuua nos. Resp. Et libera nos propter nomen tuum. Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad

te veniat. Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Omnipotens sempiternæ Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis adorare unitatem: quæsumus, vt eiusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur aduersis.

Oratio.

Protege Domine famulos tuos subsidiis pacis; & beatæ Mariæ semper Virginis patrocinio confidentes, a cunctis hostibus & periculis redde securos.

Oratio.

A Domo tua, quæsumus Domine, spirituales nequitia repellantur, & aërearum discedat malignitas tempestatum.

Oratio.

A D te nos Domine clamantes exaudi, & aëris serenitatem nobis tribue supplicantibus; vt qui iustè pro peccatis affligimur, misericordia tua præueniente, clementiam sentiamus.

Oratio.

Largiri & conseruare fructus terræ dignare Domine Deus noster; vt temporalibus gaudeamus auxiliis,

liis, & proficiamus spiritua-  
libus incrementis. Per Chri-  
stum Dominum nostrum.  
Amen.

**P**otesť dici & Oratio il-  
lius Sancti, in cuius ho-  
nore constructa est Ecclesia,  
& aliorum Sanctorum, in  
quibus plus de eorum adiu-  
torio confidimus propter

specialem deuotionem no-  
stram. Possunt dici & alie  
etiam deuotæ Orationes cum  
compunctione, & cordis  
contritione, implorando sem-  
per misericordiam Dei. Et  
si adhuc tempus tempestuo-  
sum perseverauerit, pote-  
runt supra dicta pluries re-  
peti.

